

XXVI. Quemadmodum ex natura jurisdictionis delegatae est penes Episcopos auctoritas, jurisdictionis illius ulum limitandi ac modificandi; ita ipsi eadem ratione competit facultas, eam jurisdictionem revocandi vel suspendendi.

De hac auctoritate minimè dubius S. Carolus in Synodo suo Mediolanensi VI. *De his qua ad Sacram. Pœnitent. pertinent* statuit, "ut Episcopus à confessionibus audiendis suspendat aut omnino amoveat Confessarios etiam regulares jam approbatos, quos pro suae timoratae conscientiae religione videri in eo munere non ita sincerè integrèque, & cum ædificatione se gerere, quemadmodum & tanti ministeriis commissi sanctitas & animarum salus deponit, quæ suæ fidei concredita sunt.

XXVII. Episcopalem hanc licentiam tam limitandi, quam revocandi Confessariorum jurisdictionem auctoritate regia nuper roboravit, stabilivitque Rex Christianissimus edito Decreto mense Apriliano 1695. & à Parlamento Regio probato concernente jurisdictionem Ecclesiasticam cujus articulus II. hic est: "Presbyteri Seculares & Regulares, non poterunt administrare Sacramentum Pœnitentiae, sine obtenta licentia ab Archiepiscopis aut Episcopis, qui illam poterunt limitare quo ad loca, personas, tempus & casus, ut convenire judicaverint; & eam revocare, etiam ante elapsum terminum ex causis quæ ad eorum notitiam post datam licentiam pervenerunt, nec eas exprimerere debent; ita ut dicti seculares & Regulares in excipiendis Confessionibus continuare non possint sub quocumque pretextu, nisi in casu extremae necessitatis, quousque obtinerint novam licentiam; quin & subierint novum examen, si prædicti Archiepiscopi aut Episcopi judicent necessarium; volens, ut dictæ licentiæ sine expensis dentur; atque ordinationes quæ factæ fuerint per Archiepiscopos vel Episcopos super hac materia executionem habeant, non obstant omni appellatione simplici vel tamquam ab abusu, tamen sine ejus præjudicio.

Articulo sequenti declarat, "sub articulis præcedentibus non comprehendi Curatos sive Seculares sive Regulares, qui concionari & Sacramentum Pœnitentiae in suis Parochiis administrare poterunt.

XXVIII. Vice-Pastores hic in Belgio non solent quidem habere verum titulum Beneficii, ratione cujus dici possent habere curam animarum jure ordinario seu proprio; attamen cum revera cura Animarum ipsis incumbat ratione Vice-Pastoratus; atque ipse Vice-Pastoratus sit species officii Ecclesiastici aliquatenus ad naturam Beneficii accedentis, non videtur ipsa facultas excipiendi Confessiones tam facile & pro nutu Episcopi Vice-Pastoribus adimi posse, ut aliis Presbyteris seu secularibus seu Regularibus nullum hujusmodi speciale officium cum cura animarum habentibus; cum adimendo alicui facultatem excipiendi Confessiones, quodammodo privetur suo officio seu Vice-Pastoratu, cui sine hac facultate satisfacere nequit.

CAPUT VII.

De Reservatione Casuum.

1. Quid reservatio casuum?
2. Duplex hodie casuum reservatio; & quid Episcopalis?
3. Quid Papalis?
4. Utinus reservatio casuum? & in Ecclesia jam pridem usitata.
5. Hac reservatio non est tantum quoad externam potestatem.
6. Olim omnia graviora crimina Episcopis erant reservata.
7. Hodierna Episcopalis reservatio minor est, quam antiquitus fuit.
8. Primis seculis reservatio Papalis non aequè nocua.

9. Circa seculum XI. cepit absolutio Pœnitentium ad Papam deferri.

10. Eiusmodi subinde aliquorum criminum absolutio ipsi reservari.

11. Ratio illius factæ reservationis.

12. Primitus nemo à casibus reservatis Papa absolvetur, nisi eum personaliter adiret; & hinc à peccatis retraheret reservatio.

13. Qui à personali accessu excusarentur?

14. Quando potestas absolvendi à casibus reservatis Papa communicari cœperit.

15. De reservationibus Papalibus latius remissive.

16. Reservatio criminum pertinet ad populi Christiani disciplinam.

17. Primum quia incuiti horrorem criminum.

18. Secundò quia nimis facultatem venia.

19. Tertiò quia majoribus morbis anima curandis proficit peritiores Medicos.

20. Cavendum ne reservationes nimium multiplicentur.

21. In criminibus reservandis temporum & locorum conditio attendenda.

22. Hanc attendit Sanctus Carolus.

23. Quam moderati fuerint etiam seculo XIII. Episcopi in danda facultate absolvendi à casibus reservatis.

24. Etiam seculo XIII. habebant facultatem absolvendi à casibus reservatis restrictam ad eos qui ad Episcopos ejusmodi Pœnitentarios accedere non poterant.

25. Reservationes suo frustrantur effectu dum facultas absolvendi à reservatis facile communicatur.

26. Privilegia Ordinibus, aut Ecclesiis concessa non dant facultatem absolvendi à casibus reservatis Episcopo.

27. Regulares nequeunt absolvere à casibus reservatis sine speciali licentia Episcopi; & contraria assertio censurata.

28. Nulla privilegiorum auctoritate id possunt.

29. Non obtentum cuiquam Confraternitatis.

30. Facultas absolvendi à reservatis Papa non infert facultatem absolvendi à reservatis Episcopo.

31. Episcopi possunt hanc facultatem restringere ad certos casus.

32. Unde haurienda notitia casuum reservatorum.

33. Moderatè utendum facultate absolvendi à reservatis.

Reservatio casuum juxta modernam phrasim dicitur ea, quæ nonnulla graviora peccata majoribus Ecclesia Prælati reservantur ita ut inferiores ea remittendi potestatem non habeant; nisi hæc potestas ipsis specialiter data fuerit.

II. Reservatio alia dicitur Episcopalis, alia Papalis seu Pontificia.

Prior est, quæ ipsi Episcopi quædam peccata sibi vel generaliter per totam Diocesim, & respectu omnium generaliter Confessariorum reservant; ita ut nulli inferiores Confessarii quantumvis indefinitè & illimitatè approbati ab iis Sacramentaliter absolvere queant sine speciali facultate; vel specialiter respectu hujus illiusve Confessarii, aut pro quadam suæ Diocesis parte reservant.

Sicut enim Episcopus potest Presbyterorum tam secularium, quam regularium, præsertim Parochiale Beneficium non habentium, approbationem ad tempus limitare; ita eandem quo ad materiam sive peccata restringere potest.

III. Reservatio Papalis sive Pontificia est illa quæ nonnulla atrociora crimina Papæ reservantur; ut nullus ab iis præter Papam aut ab eo potestatem habentem, absolvere ordinariè queat.

IV. De

Pars II. Tit. VI. De Sacramento Pœnitentiæ.

IV. De hac casuum reservatione, atque Pontificum & Episcoporum auctoritate loquens Synodus Tridentina *Sess. 14. cap. 7. De Pœnitentiâ* declarat: "Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina, non à quibusvis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absolventur. Unde merito Pontifices Max. pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo poterunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quæ à Deo sunt ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diocesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quo ad illa, quibus excommunicationis censura annexa est.

V. Et Canone II. Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quo ad externam potestatem, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos à reservatis veitè absolvat; anathema sit. Igitur Synodus non tantum in Pontifice; sed & in Episcopis hanc auctoritatem agnovit; & ab omnibus agnoscendum esse desinivit.

VI. Quod Episcopos attinet, jam pridem pene omnia graviora peccata ipsis reservata fuissent non sine fundamento asseritur.

Constat enim, pluribus seculis penes solos Episcopos fuisse pœnitentium publicorum reconciliationem; neque Presbyteris inferioribus fas fuisse Pœnitentes reconciliare, nisi vel Episcopo absente ac necessitate urgente; vel ex speciali Episcopi delegatione; quemadmodum *capite 3.* ostensum est.

Cum verò de gravioribus quibuslibet peccatis multis seculis pœnitentiæ publica acta fuerit (uti *cap. 2.* dictum fuit) etiam graviorum criminum absolutio Episcopis reservata censebatur.

VII. Dum autem sensim pœnitentiæ publica pro occultis agi desiit; etiam occultorum criminum absolutio Presbyteris concredita fuit; publicorum verò, pro quibus publica pœnitentiæ erat peragenda, absolutio Episcopis longo tempore reservata fuit; ut proinde reservatio quorundam criminum sive casuum hodie ab Episcopis fieri solita, non nisi exigua sit pristinae auctoritatis Episcopalis particula.

VIII. De reservatione Papali non idem per omnia dici potest Nam uti notat Ludovicus Thomassinus *De Disciplina Ecclesiastica parte 4. lib. 1. cap. 71. num. 1.* pluribus seculis penes Episcopos fuit plena ac omnimoda auctoritas absolvendi in foro pœnitentiæ cuiuscunque quantumvis enormis sceleris reos; neque iis seculis ulla erat reservatio Papalis in foro illo pœnitentiæ nota.

IX. At circa seculum XI. cœperunt Episcopi ipsi nonnullis graviorum criminum reos ad Sedem Apostolicam mittere; idque vel ut à Pontifice reconciliarentur; vel ut à Pontifice Pœnitentiâ imponeretur; quæ demum peracta ab Episcopis absolventur.

X. Nec tantum in particulari aliquo casu Pœnitentes ad Sedem Apostolicam mittebant; sed subinde etiam generali Decreto criminis alicujus reos non ab Episcopis aut Archiepiscopis, sed à solo Pontifice absolvendos decernebant. Hoc verò hac ratione factum videtur; ut hac reservatione difficilior esset obtinendi à crimine commisso absolutionem occasio, atque hac difficultate à crimine committendo retraherentur.

De Concilio Londinensi habito anno 1143. à Wilhelmo Wintoniensi Episcopo loquens Mathæus Parisiensis asserit, sanctum ibi esse, & generaliter constitutum, "ne aliquis, qui Ecclesiam, cœmeteriumque violaverit, vel in Clerico, aut viro Religioso manus iniecerit violentas, ab alio quam ipso Papa possit absolvi.

XI. Rationem hujus Decreti præmisit his verbis expressam: "Nullus enim honor vel reverentia ferebatur Dei Ecclesiæ vel ejus Ordinatis à prædonibus sceleratis, sed

atque Clerici & laici capiebantur, redimebantur, & in vinculis tenebantur.

Idipsum testatur Rogerius in Annalibus, qui relato superiori Decreto addit: "Unde Clericis aliquantulum serenitatis vix tandem illuxit." Hæc tum Mathæi Parisiensis, tum Rogerii testimonia extant tomo 10. Concil. general. *Col. 1033.*

XII. Quæ ratione difficultas obtinendæ absolutionis nata esset retrahere à committendo crimine Sedi Apostolicæ reservato facile apparebit, si attendatur, quod juxta disciplinam illius temporis, nemo à Pontifice absolutionem impetraret nisi personaliter Pontifici se fisteret & ab eo Pœnitentiâ accepisset; adeo ut vel ipsa itineris fatigatio pars Pœnitentiæ judicaretur. Exemplum suppeditat Epistola 160. Ivonis Carnotensis. Quidam Nobilis audaciâ inaudita mulieraverat quemdam Religiosum Presbyterum; & imposuerat ei Ivo 14. annorum Pœnitentiâ, susceperat nobilis; sed cum in decursu Pœnitentiæ iterato insisteret ut pro sua adversus quemdam suam inimicam defensione sibi liceret arma portare, Ivo tandem eum ad Pontificem Rom. pro indulgentia obtinenda remisit; reservantes itaque hanc indulgentiam Apostol. moderationi ad Apostolorum eum limina direximus, quatenus & fatigatione itineris hujus peccatum suum diluat, & apud pietatis vestrae viscera misericordiam, quam Deus vobis inspiraverit inveniat.

XIII. Hac quoque de causa qui personaliter Pontificem adire non poterant ut v. g. Mulieres, valetudinarii & similes ab Episcopis absolvi poterant à censuris aliâs Pontifici reservatis v. g. pro violenta injectione manuum in Clericum. *Cap. 6. § 13. De Sent. Excom.*

XIV. Quo tempore Pontifices absolutionem à casibus sibi reservatis inferioribus Presbyteris & Confessariis delegare cœperint, incertum est. Hoc constat, quod seculo XV. pius ac doctus Gersonius desideraverit, ut hæc absolvendi facultas pluribus fuisset communicata; quo intelligitur, eo adhuc tempore parcè datam esse. Verba ejus sunt: "Saltem de facultate Papa absolvendi transgressores superioribus Monasteriorum & Ecclesiarum, ut quando dederit Dominus Spiritum compunctionis, inveniant promptum remedium, & non in desperationis præcipitium ruant, pro difficultate Papam vel suam curiam adeundi." Apud Thomasinum *p. 4. l. 1. c. 70. n. 11.*

Verum ut notavit Thomassinus, fateri oportet, quod indulgendo quod pio affectu desideravit Gersonius, & facilitando absolutionem illorum enormium criminum Papæ reservatorum, dirutum fuerit, quod de veteri pœnitentiâ supererat, rupta fræna, quæ sceleratos refrænabant; atque præcipua ac fundamentalis ratio harum reservationum destructa.

XV. Cæterum de his reservationibus Papalibus, quomodo scilicet postremis hinc seculis fuerint multiplicata; Episcoporum, atque præsertim quo ab crimina occulta, & aliorum inferiorum Confessariorum circa illas auctoritate, aliisque eò pertinentibus latius agetur parte 3. ubi de *consensu Papa reservatis* tractabitur.

XVI. Docet Synodus Tridentina in citato Decreto, magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere jam pridem Patribus Sanctissimis visum esse, ut atrociora quædam & graviora crimina, non à quibusvis; sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absolventur.

XVII. Hic autem reservationis effectus habetur primò ex eo, quod per criminum quorundam reservationem populo criminum horror aliquis major obijciatur; dum ea ob sui enormitatem summis Sacerdotibus reservata intelligit; atque ab iis absolvendi auctoritatem inferioribus Confessariis substractam.

XVIII. Secundò dum populus intelligit, crimen aliquod reservatum, ac per consequens eodem semel involutum, non posse per obvium quemcumque Confessarium ab eo absolvi; sed pro absolutione obtinenda ad Episcopum a-

liumve

hūmve ſpeciali auctoritate inſigniam recurri, e que conſcientiam ſuam pandere debere, natum eſt fieri ut à crimine illo committendo aliquatenus ſaltem retrahatur. Notum enim eſt, quod ſicut facilitas veniæ eſt incentivum delinquendi; ita econtrariò difficultas veniæ minuat facilitatem peccandi.

XIX. Denique magnopere ad populi Chriſtiani diſciplinam pertinet, ut morbis ſpiritualibus periti medici, atque congruentia pharmaca & remedia adhibeantur.

Cum verò compertum ſit morbos, quò gravioreſ ſunt, peritioſe requirere medicos, atque majore cum diſcretionē remedia eſſe applicanda; etiam hoc titulo reſervatio ad populi Chriſtiani diſciplinam pertinet, quod graviora crimina, quæ ſunt graviora animæ vulnera, non omnibus indifferenter ſpiritualibus Medicis curanda committantur; ſed hiſ curanda reſerventur, qui præ reliquis peritioſe in applicandis remediis, & morbis ſpiritualibus curandis creduntur.

XX. Ex hiſ non obſcurum eſt colligere, ad aſſequendum ſcopum & finem reſervationum à Patribus & Eccleſia intentum, requiri imprimis in reſervandis criminibus non modicam diſcretionem: ac multiplicatione tandem earum auctoritas vileſcat; nec ipſa reſervatio conſequenter ulterius peccatorum reſervatorum enormitatem perſuadeat, aut horrorem peccatorum incutiat.

XXI. Inſuper ut jam notatum eſt, præcipuus reſervationem finis eſt populū à peccatis per difficultatem obtinendæ abſolutionis tamquam quodam frano cohibere. Cum ergo populus uno tempore, & uno loco ad certum peccatum ſit proclivior quàm altero, ſequitur, quod ſubinde ad populi Chriſtiani diſciplinam magnopere pertinebit, unum idemque peccatum uno tempore, & uno loco reſervari, quod alio tempore aliòve loco reſervationem non exigit: eò quòd hoc tempore, vel hoc loco non ea ſit ad hoc peccatum populi proclivitas, & peccati huius frequentia ut ab eo hoc reſervationis frano cohiberi debeat aut conveniat.

XXII. Hanc in reſervandis caſibus Episcoporum prudentiam ac diſcretionem ut neceſſariam ſuppoſuiſſe S. Carolus oſtendit ejus Decretum in Concilio V. Mediolanenſi cap. 10. hiſ verbis expreſſum: "Cum pro temporum varietate caſuum reſervationem ab Episcopo aliquando mutari expediat, quo plantus illos caſus ei reſervatos Conſeſſarii Sacerdotes perpetuò nōrint, eos Episcopus ſingulis annis, vel in Synodo Diœceſana, vel ineunte Januario promulget, ita ut quæ illorum caſuum reſervatio proximè facta eſt, vim habeat, quoad altera fiet."

XXIII. Ad hæc ut hic eſſectus reſervationum facilis & efficacius obineretur, jam pridem Episcopi raro admodum, & paucis facultatem à reſervatis abſolvendi indulgebant: ſed ſicuti eorum abſolutionem ſibi reſervabant, ita quoque volebant, ut criminum rei à ſe abſolutionem acciperent.

In Concilio Arelatenſi anno 1260. *Can. 16.* legitur, quod propter *imbecillium & impotentium & pauperum occupationes & penuriam*, aliquando per villas & oppida conſueviſſent Episcopi *Pœnitentarios* ſuos in quadragelima deſtinare, qui eos à caſibus, qui *Majoribus reſervabantur* abſolverent: indicium haud obſcurum, inferioribus Conſeſſariis per villas & oppida conſtitutis facultatem à reſervatis abſolvendi non fuiſſe communicatam: neque Pœnitentarios ab Episcopis deſtinatos potuiſſe quolibet à caſibus reſervatis abſolvere; at dumtaxat illos, qui per impotentiam aut penuriam ad Episcopum facile accedere non poterant; quod ipſa Synodus clariffimis terminis in fine ſui Canonis expreſſit: "Nec Praelati, ait, ſuper caſibus ſibi reſervatis, ad Parochianos ſuos Pœnitentarios deſtinent, niſi eos, qui commode ſuos Praelatos adire non poſſunt."

XXIV. Rurſus ejuſdem Provinciæ Synodus quinquennio poſt priorem, id eſt, anno 1265. congregata, poſtquam *Can. 12. & 13.* plures caſus Episcopis reſervatos enumeraviſſet,

tandem in fine *Canonis 13.* inhihet, "quod illi qui conſeſſationes audiunt, ſe intrmittere non debeant de abſolutionibus peccatorum (reſervatorum) niſi perſona quæ in aliquos prædictorum caſuum inciderint, fuerint adeò ſenes vel valetudinaria; quod ad Episcopos, vel eorum pœnitentarios, venire non poſſint, vel niſi fuerint in mortis articulo conſtitute. Et tunc eis nihilominus injungatur, quod ſi recuperaverint ſanitatem, pro prædictis ſe debeant Episcoporum aſpectibus præſentare."

XXV. Et ſane niſi Episcopi in deleganda hac poteſtate admodum fuerint moderati; ut eam non niſi paucis, iſque pietate, eruditione atque prudentiâ præcellentibus communicent, ipſe reſervationum uſus omni ſuo fruſtrabitur effectu; quemadmodum hodie multis in locis nullum pene ejus fructum & effectum videmus.

XXVI. Cum verò nequaquam præſumendum ſit, privilegia ſive perſonis Regularibus ſive Secularibus, vel confraternitatibus aut Eccleſiis à Sede Apoſtolica indulgentiæ diſciplinæ Eccleſiaſticae, atque auctoritatis Episcopalis deſtructione aut imminutione, nequaquam verum ſimile eſt, privilegia à Sede Apoſtolica emanãſſe, quibus poteſtas abſolvendi à caſibus Episcopis reſervatis ſub generalibus terminis Conſeſſariis indulgeretur.

XXVII. Unde inter propoſitiones damnatas ab Alexand. VII. anno 1665. hæc ordine 12. reſertur: "Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Episcopo reſervatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate."

Et rurſus in Decreto ad Episcopum Andegavenſem idem Pontifex hanc propoſitionem: "Regulares habent poteſtatem abſolvendi ſeculares à peccatis Episcopo reſervatis, etiam ſi ab Episcopo auctoritas illa ipſis indulta non fuerit, damnavit, ut *faſſam, auctoritati Episcoporum & Sedis Apoſtolice injurioſam.*"

Eandem & Conventus Gallicanus in cauſa Episcopi Andegavenſis jam ante reproboverat.

XXVIII. Quin & S. Carolus Syn. Mediolanenſi III. tit. 8. prohibens "ne Conſeſſarii Regulares, eorum peccatorum, quorum abſolutio Episcopo reſervata eſt, vinculis irretitos Pœnitentes abſolvant." Addit: "Quemadmodum à Sede Apoſtolica declaratum eſt, id eis non licere, quavis privilegiorum ſuorum auctoritate."

Deinde in Concilio Mediolanenſi V. cap. 10. ait: Ab iſis verò caſibus (reſervatis) proximè promulgatis, ſi quis Conſeſſarius *cujusvis ordinis* ſine facultate ſcripta, ab Episcopo datâ, aliquem abſolvere attentarit, *excommunicationis* pœnam ipſo facto ſubeat.

XXIX. Et infra: "Ne facultatum, privilegiorumque jura, quæ cuicumque etiam Roſarii, & cruce ſignatorum Scholar, confratriæ, collegiòve, etiam laicorum, quæve collegis, confratribusve in eo aſcriptis ante, vel poſt Concilii Tridentini confirmationem, conceſſa ſunt; Conſeſſariis, cuiusvis ordinis ſit, ab iſis caſibus, quos ſibi Episcopus in ſua Diœceſi reſervaverit, pœnitentes ſine illius facultate abſolvat. Si contrafecerit, ſuſpenſionem à divinis ipſo facto incurrat."

XXX. Neque Conſeſſarii habentes ſpecielem facultatem à Pontifice abſolvendi à caſibus reſervatis *Sedi Apoſtolice*, propterea cenſendi ſunt habere facultatem abſolvendi à reſervatis Episcopo; tametſi reſervati Episcopo eſſent quoque inter caſus reſervatos Sedi Apoſtolice.

Pontifex enim dans eam licentiam, tantum concedit licentiam ab illis caſibus abſolvendi *ut ſibi* reſervatis: Episcopalem verò reſervationem tangere non præſumitur, ut Episcopis ſua integra maneat auctoritas; & ita habet Clemens X. in Bulla quæ incipit *Superna*; & Innocentium X. declaraviſſe Jacobo Boonen Archiepiscopo Mechlinienſi reſertur *Bosco Tomo 4. Diſp. 3. De Miniſtro Pœnit. Sect. 5. concl. II.*

XXXI. Porro ſicuti Episcopi poſſunt facultatem abſolvendi reſtringere & modificare; ita quoque licentiam abſolvendi à reſervatis, & quo ad perſonas & caſus. *Quin & de*

declare, quoddam ſpeciale peccatum ob ſui gravitatem non comprehendi ſub generali licentia abſolvendi à reſervatis; quemadmodum in Congregatione Archiepiscoporum anno 1663. *art. 65.* declaravit Archiepiscopus Mechlinienſis, quod "nullus Conſeſſarius (extra mortis articulum) etiam ſi aliàs habeat poteſtatem abſolvendi à caſibus reſervatis, abſolute poſſit à peccato quolibet mortali & externo contra caſtitatem (ſi forte id contingeret, quod Deus avertat) complice in eodem ſecum peccato abſolvere: Quem proinde caſum Illuſtriſſimus Dominus reſpectu Conſeſſarii complice in caſus reſervatos reſert, ſubtrahendo omnem ad id iurisdictionem, imo etiam detrahendo, neminem ad iſtiusmodi caſum cenſeri approbatum, & approbationes hæcenus generaliter dactas ita ſe reſtringere, & pro reſtrictis haberi velle & quatenus opus eſt, ad iſtum omninò revocare reſtrictionis modum ſtatim à publicatione huius Decreti, quam vult quamprimum fieri per Archiepiscopos, in Congregatione Paſtorum, atque ipſe Illuſtriſſimus

Dominus Religioſorum etiam Superioribus curabit intimari.

XXXII. Cæterum qui ſint caſus in ſingulis reſpectivè Diœceſibus reſervati, videri poterit ex Synoſis, & Paſtoralibus ſeu Ritualibus ſingularum Diœceſium; ræcipuè verò ac certius ex litteris approbationis Conſeſſariis dari ſolitis, in quibus caſus tunc reſervati reſeruntur. Conveniens autem erit, ut caſuum illorum habitâ notiâ, etiam ſubinde Parochus populo notificet caſuum illorum reſervationem; ut vel inde gravitatem criminum illorum concipiat; & horrorem aliquem de peccatis illis populo incutiat.

XXXIII. Meritò autem monet Synodus Gandenſis *tit. 5. cap. 6.* ut "qui à caſibus reſervatis abſolvendi poſſentatem accepit, non ad deſtructionem, ſed ad ædiſicationem eâ utatur, exponendo Pœnitentibus gravitatem peccatorum, & convenientes ſatiſfactiones, prout ſpiritus ſuggeſſerit prudenter injungendo." Idipſum innovatum eſt Decretis Synodalibus ſub Antonio Trieſt. *tit. 5. cap. 11.*


TITULUS VII. De Indulgentiis.

CAPUT I.

De variis Indulgentiarum Speciebus ſive Formulis.

1. Indulgentia olim dicta remiſſiones.
2. Unde hoc nomen derivatum?
3. Prima ſpecies Indulgentiæ ex Apoſtolo.
4. Quam Apoſtolus Indulgentiam conceſſerit; & quare?
5. Deſcribitur ſecunda Indulgentiæ ſpecies.
6. Tertia ſpecies Indulgentiæ ad preces Martyrum, & quomodo moribus daretur.
7. Quomodo eis prodeſſet.
8. Etiam ſanis & benevolentibus dabatur.
9. Quare ſpecies Indulgentiæ propter opus laborioſum ſuſceptum: & qua huius formula?
10. Inſigne huius exemplum ſub Urbano II.
11. Potius erat Pœnitentiæ commutatio, quàm indulgentia.
12. Quare pluriſimi mallent hoc opus laborioſum ſuſcipere, quàm Canonicam pœnitentiã agere.
13. Quomodo hæc Indulgentia occaſionem dederit abrogationi Canonum pœnitentialem?
14. Quinta ſpecies Indulgentiæ ex præcedenti orta.
15. Formula huius Indulgentiæ; & quomodo hæc Indulgentia ſenſim extenſa?
16. Hæc Indulgentia dicta à ſua origine relaxatio pœnitentiarum Canoniarum; & quare?
17. Huius Indulgentiæ uſus demum ſæculo XI. cepit.
18. Episcopi mox admodum liberales fuere in concedenda hæc Indulgentia.
19. Non extat huius Indulgentiæ formula monumentum ante ſæculum XI.
20. Quidam credunt ſimilem Indulgentiam conceſſam à S. Gregorio; ſed erroneè.
21. Qua erroris occaſio?
22. Nonnulli credunt conceſſam à Leone III. auctoritate epistoſe S. Ludgeri.
23. Huius epistoſa fictio oſtenditur.
24. Indulgentia falſo aſcripta Sergio II. & qua falſitatis origo.
25. Indulgentia S. Sylveſtro ſine fundamento aſcripta. Van Eſpen *Jur. Eccl. P. II.*

26. Nullus Catholicus aſſerit uſum Indulgentiarum primæ ſæculo XI. cepiſſe; ſed ſatentur verum quod Tridentinum dixit, & proſiſſio fidei exprimit.
27. Multa circa Indulgentias à Theologis moventur & traduntur; ſed pauca certitudinem fidei attingunt.

I.  Omen Indulgentiæ derivatur à verbo *indulgere*, atque idem valet, quod aliquid remittere ſeu relaxare. Unde quod hodie phraſi Eccleſiæ dicitur *Indulgentia*, olim frequentius dicebatur *remiſſio*; atque inde titulus Decretalium *De Pœnitentiis & Remiſſionibus*.

Et in Cap. 4. *De Pœnit. & Remiſſionibus* ſcribit ad Archiepiscopum Cantuarienſem Alexander III. "Quod autem conſuluiſti, utrum remiſſiones, quæ ſunt in Deſinationibus Eccleſiarum, aut conferentibus ad ædiſicationem Pontium, aliis proſint quàm hiſ, qui remiſſionibus ſubſunt. Hoc volumus Tuam Fraternitatem tenere, quòd cum à non ſuo iudice ligari nullus valeat, vel abſolvi, remiſſiones prædictas prodeſſe tantummodo arbitramur, quibus ut proſint, proprii iudices ſpecialiter indulſerunt."

Hic à Pontifice vocari *remiſſiones*, quæ hodie dicuntur *Indulgentia*, evidens eſt ex ipſo contextu.

II. Videtur autem Eccleſia nomen hoc derivaſſe ab uſu veterum Imperatorum & Juris Conſultorum: ſiquidem illi *Indulgentiam* ſolemni proprioque vocabulo appellabant remiſſionem generalem criminum, quam aliquando Principes ſæculi publicæ lætitiæ cauſa faciebant; quemadmodum videri poteſt in Codice Theodoſiano titulo *De Indulgentiis criminum*; ac nominatim videre eſt in lege 3. *Indulgentiam* fuiſſe remiſſionem criminum, quoad ſolam pœnam legibus debitam. Hoc pluribus oſtendit Bellarminus *lib. 1. de Indulg. cap. 1.*

Plures huius Indulgentiæ Eccleſiaſticae ſpecies ſive formulæ, aliæ antiquiores aliæ recentiores, occurrunt.

III. Prima eaque antiquiſſima eſt illa, quæ uſus eſt Apoſtolus erga inceſtuoſum Corinthium hiſ verbis expreſſa: "Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt, oburgatio hæc, quæ fit à pluribus; ita ut è contrariò magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia